

Dissertatio medica inauguralis de variolis secundariis : quam annuente summo numine ... D. Georgii Baird ... / eruditorum examini subjicit Andreas Smith.

Contributors

Smith, Andrew, 1797-1872.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ybcgutrj>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>






486-1887

Cc4-c. 18





To

Dr. Thomson

with the most respectful compliments
of the Author

THE NEW YORK MEDICAL

AND SURGICAL

VARIOUS

AND THE NEW YORK

OF THE

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VARIOLIS SECUNDARIIS;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS :

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS SMITH,

SCOTUS,

SOCIET. WERNERIAN. SOCIUS,

ET

NOSOCOMIOR. EXERCIT. BRITANN. CHIRURGUS SECUNDARIUS.

E' volgar' errore il credere, che chi ha una volta sofferto, specialmente il vajuolo non vi sia piu sottoposto; mentre che l'osservazioni fan fede che per la seconda, ed ancora per la terza volta, comeche sieno cosi rari, vi s' inciampa.—*Moxa*, dell' *Aria* e de *Morbi* dall' *Aria* dependente, *Dissert.* 2. *Parti* 2. tom. *ii.* p. 106.

Cujusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis perseverare in errore.
CICERO.

iv. Nonas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

JACOBO McGRIGOR, EQUI, M. D.

S. R. L. & E. S.

COL. REG. MED. EDIN. SOCIO,

PRINCIPIS BRITANNIAS REGENTIS

MEDICO EXTRAORDINARIO,

EXERCITUS BRITANNICI SUMMO PRÆFECTO MEDICO,

QUI

NOTITIA SUÆ ARTIS, ALIARUMQUE SCIENTIARUM

ÆQUE AC SUAVITATE MORUM,

ÆSTIMATIONEM ET OBSERVANTIAM OMNIUM

OBTENUIT,

OB MULTA SUA BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA,

HOCCE OPUSCULUM,

TESTIMONIUM GRATI ANIMI

D. D. D.que.

AUCTOR.

JACOBO MCGRIGOR, F.R.S., M.D.

1791

COL. REG. MED. EDIN. SOCIO.

PRINCIPES BRITANNIAE REGENTIS

MEDICO EXTRAORDINARIO

EX RECTOR BRITANNIAE SUMMO PRINCIPIS MEDICO

1791

NOTITIA BUI ARTIS, ALIARUMQUE SCIENTIARUM

EXQUE AC SEQUITUR MORUM

Digitized by the Internet Archive
in 2014

OSTENDUNT

OR MULTA SUA BENEFICIA NUMquam OLIVISCENDA

HOCCE OPUSCULUM

TESTIMONIUM GRATI ANIMI

1791

L. D. D.

AUCTOR

ERRATA.

In dedicatione *pro* obtenuit, *lege* obtinuit,

Pag. 19. lin. 21. *pro* aliqui, *lege* aliqui,

—— 23. —— 4. — King —— Ring

ERRATA

In the list of the names of the persons

who have been admitted to the office of

the Secretary of the State, the name of

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VARIOLIS SECONDAARIIS.

Auctore ANDREA SMITH.

AN corpus humanum sæpius quam semel contagione variolarum affici possit? quæstio est quæ multam contraversiam creavit, et de qua, medici etiam temporibus nostris, sententias contrarias et discordantes recipiunt. Auctores multi primi ordinis, non solum ut homines subeant tentationem secundam, aut tertiam asseverarunt, sed tales ut nequaquam raras habuisse videntur; dum

alii, æqua eruditione, diversam opinionem sustinent. Agitatio recens, quam hæc quæstio experta est, variis conatibus qui ad naturam variolæ, et varicellæ utpote eandem probandam, nuper facti sunt, quendam generalem relationem permittat, rerum quæ ab auctoribus qui morbum iterum interdum redire credunt, enumeratæ sunt; ut illa opinio si vera, accurationem illorum inductionum ultra dubitationem probabit.

Mihi in animo est, in hac dissertatione, brevem narrationem quorundam casuum qui optime probati sunt, dare, ubi variolis homines sæpius quam semel affecti sunt, simul cum enumeratione opinionum talium, quæ suam originem aut ab observatione, aut ab consideratione illorum casuum derivaverint.

Differentia multa opinionis inter medicos scriptores extitit de tempore, et regione, in quibus variola primum exoritur. Alii ad Græciam, alii ad Sinas, et alii ad Arabiam, originem retulerunt *. Primæ descriptiones accuratæ quæ nos pervenerunt hujus morbi, opera sunt Medicorum

* MOORE'S History of Small Pox, page 1. et seq.

Arabicorum, a quorum plurimis credebatur ut singuli eo plus semel implicati essent.

RHAZIS*, qui inter primos eorum scriptorum fuit, et cujus descriptio est plenissima, et perfectissima, morbum aliquando recursurum esse credidit, ut ab variis indiciis ejus in nonnullis partibus sui operis videatur. Is de conditionibus corporis diversis loquens, in quibus variola accidat, his verbis utitur: “ Iis etiam accidunt (variolæ) quibus calor est hebes vel humiditas non copiosa; et “ iis qui in pueritia eorum variolis correpti fuerunt “ debilioribus.” Iterum in enumeratione remediorum quæ ad morbo præveniendum adhibeantur, præscribit missionem sanguinis ad juvenes, “ qui “ vel nondum variolis fuere correpti, vel qui correpti fuerunt olim variolis languidis, debilibus:” etiam, in folio 252, recursum variolarum “ bis vel “ ter” in eodem homine admittit.

Nonnullis annis peractis, mentionem factam fuisse ejusdem rei ab AVICENNA†, invenimus; qui verbis sequentibus utitur: “ Et multoties qui-

* RHAZIS, de Variolis et Morbillis, pag. 27. et seq.

† AVICENNA, Opera Omnia, tom. ii. lib. 4. pag. 73.

dem variolatur, homo duabus vicibus, quando aggregatur materia ad expellendum bis."

Ista opinio generaliter recepta esse videtur, ad tempus usque AVERRHOIS, qui sub finem undecimi seculi vixit, et qui primus ut homo variola tantum semel in vita laborare potuisset, affirmavit.

Post hoc per quædam secula ita obscura, et imperfecta est, historia morbi, ut nos non præbeat occasionem, indagandæ viæ quæ ad propagationem per Europam cepit, aut aspectuum variorum quos probabiliter per illud tempus exhibuit. A quibusdam trans Mediterraneam in Hispaniam fuisse gestum, existimatum est, et ab aliis via Constantinopolis, pervagatum esse.

Omissis illis controversiis, quum consequentiæ morbi magis ferri ægre inceperunt, et fatalis vis attentionem sedulissimam medicorum requirebat, natura ejus melius nota facta est, et aspectus generales accuratissime descripti sunt, et aliquæ aberrationes ab legibus quas variola plerumque observat, ab ullis auctoribus dignæ memoria fuerunt.


Scripta medicorum in regionibus multis Europæ, ab illo tempore descriptionibus morbi accura-

tis abundant, ut plerumque visus est, et etiam diversitatum, quæ aliquando observatæ sunt.

In Italia—AMATUS LUSITANUS* scriptor sexdecimi seculi mentionem variolarum recursus fecit. Post res, quas credidit quasdam causarum esse illius morbi enumeravit, dicit: “His accidit
“causis, aëris infectio, sive ea a causa particulari
“procedat, sive ab universali et cœlesti originem
“trahat, ut hoc anno millesimo quingentesimo
“quinguesimo primo, Anconæ contigit, in qua
“civitate pueri omnes et grandes natu aliqui, qui
“olim jam variolas et morbillos passi sunt, in eas
“rursus incurrerunt, præsagium sane (quod Deus
“Optimus Maximus avertat) futuræ pestis.”

In Appendice ad Opera Medica MESSUÆ†, edita a Francisco de Piedmont, scriptis tradita est plena relatio varietatum morbi varioloides, inter quas de eruptionis reditu mentionem fecit his verbis: “Et de iis (variolis) sunt quæ semel exeunt
“et apparent, et quæ apparent bis.”

* AMATUS LUSITANUS, Curation. Medicin. cent. iii. p. 233.

† MESSUÆ Opera Medica, Supplement. Franc. de Piedmont. p. 130. 

FORTIS*, etiam dicit de variolarum causis, “ Et
 “ sicut non est credendum cum FERNELIO, solam
 “ aëris constitutionem variolarum causam esse
 “ posse, pluries enim, non semel aut bis in ho-
 “ mine eruperunt.”

Præter hos alii scriptores Italici a BURSERIO†
 commemorantur, qui recursum hujus morbi vide-
 runt. Quorum duo sunt SARCONE et MOSCA,
 qui tales recursus non raros esse in regno Nea-
 politano dicunt, et interdum speciei confluen-
 tis secundum aut etiam tertium impetum fuisse.

In Florentia idem observatus fuit; et JO.
 ALOYSIUS TARGIONUS casus duos, in quibus
 variola bis apparuisset, narrat. DOMINICUS JU-
 VANILLIUS tres casus sororum quæ bis hoc mor-
 bo correptæ essent, et duo similes a LALIO dan-
 tur.

Reversio morbi etiam in *Gallia* observata fuit,
 et casus, a nonnullis medicorum scriptorum illius
 regionis, editi fuerunt.

BORELLUS‡ dicit: “ Sed multoties vidi qui

* FORTIS, Consult. et Respon. Medicinal. tom. ii.
 cent. 4. p. 604.

† BURSERII Inst. Medic. vol. ii. pag. 101. 4to.

‡ BORELLI, Hist. et Obs. Med. cent. iii. observat. 10. p. 203.

“ unquam iis (variolis) laborarunt, aliosque dua
“ vel tria ejus grana habuere vidi, etiam qui bis
“ et ter, imo in senectute, ea cruciati fuere, sed
“ nihil adeo circa hæc notandum occurrit, ac mu-
“ lier quædam Bononiensis Gallæ quæ septies
“ eas passa est, et anno centesimo et decimo oc-
“ tavo tandem eodem morbo periit.”

SIDOBRE *, causas variolarum enumerans, et conatus ut illæ productæ sint viscido statu sanguinis probare, asseverat Italos, Hispanos et Lusitanos nunquam eo morbo sæpius quam semel, dum Suedi, Dani, Angli, et etiam Parisii frequenter tentationem secundam, tertiam, aut etiam quartam habent; quod ad temperamenti differentiam earum regionum ascribit.

M. R. DE HAUTESIERCK†, in sua historia Variolæ epidemicæ quæ grassata est apud Chalon-sur-Saone anno MDCCLXIV, dicit, “ Vers le com-
“ mencement de Juillet, la petite verole devint si
“ generale que quelques uns qui l'avoient deja eue,

* SIDOBRE, Tract. de Variolis et Morbillis, pag. 6.

† HAUTESIERCK, Recueil d'Obs. de Med. des Hopit. Militaires, tom. i. p. 130.

“ soit grands, soit petits, en furent attaqués une
“ seconde fois.”

M. GAULARD* duos casus descripsit; unum
infantis, Domini MANERS, qui bis cum variola
in spatio duorum mensium affectus est, alterum
pueri qui post variolas ante nonnullus annos ha-
buerat, iterum hoc morbo in forma confluentissi-
ma correptus est.

M. OLIVIER† casum Luciae Pore narrat, quæ
vestigia prioris affectionis retinens secundum ten-
tationem morbi subiit, quæ blande cursum tran-
siit.

M. MARESCHALL DE ROUGERS‡ mentionem
fecit seipsum vidisse ultra viginti casus variola-
rum secundariarum. Dicit, “ Il vient de mourir
“ en cette ville (*Lamballe*) plusieurs personnes qui
“ portoient en grand les marques de cette maladie,
“ et je puis assurer en avoir vu devant plus de
“ vingt en pareil cas.”

M. DAR CET§, casum M. Haricourt dat,
qui anno MDCCLVI, inoculatus fuit, et anno

* Journal de Medecine, tom. x. p. 261.

† Idem, tom. xi. pag. 417.

‡ Idem, tom. xxxix. pag. 242.

§ Idem, tom. xlix. pag. 303.

MDCCLXXVI, veras variolas sed discretissimas et mitissimas habuit.

Liber apud Monspeliensem nuper editus est *, in quo variolas, et varicellas, oriri ex eadem contagione suggeritur; sententia originem ex rebus sequentibus trahit. *Primo*, Ut variola et varicella, circa idem tempus sese ostendunt. *Secundo*, Ambo plerumque semel prevalent. *Tertio*, Ambo morbi, in iisdem domis ad idem tempus videntur. *Quarto*, FRANK et RIEL, variolas spurias ortas esse, ex inoculatione cum pure variolarum verarum, se vidisse asseverant. *Quinto*, Variolarum casus purissimi semper quasdam vesiculas imperfectas, ut varicella apparent, exhibent. *Sexto*, Variola et varicella, in quibusdam casibus ita citissime superveniunt, ut aliquis eos morbos ad eandem originem referre, duceretur. *Septimo*, Varicella variolis maximam similitudinem, in symptomatis, in circuitu, in forma pustularum et in contagione ostendunt. *Octavo*,

B

* Essai sur les Anomalies de la Variole, et de la Varicelle. Par. M. F. BERARD, et par M. DE LAVIT, Montpellier, 1818.

Varicella easdem formas inordinatas variolæ ostendit. *Nono*, Eodem affinitas et etiam eadem differentia inter variolas et varicellas, ac inter vaccinam veram et spuriam existit. Si hæc vera sint, factum erit reversiones variolarum non tam raras inventum iri ut olim creditæ sunt.

Exempla similia, illis jam descriptis, in multis scriptorum medicorum *Germanorum* inveniuntur. STALPART VANDER WIEL * dicit, “ Initio
“ Decembris anno MDCLXXXII, duæ infantes,
“ hic Hagæ variolis non tamen copiosis, corripie-
“ bantur, inde febri acutiore gravibusve non labo-
“ rabant symptomatibus. Verum, tribus hebdo-
“ madis elapsis, natu minorem, exsiccatis variolis,
“ denuo in morbum incidisse mirabundus intel-
“ lexi, quem triduo post aliæ, et sextuplo majore
“ quantitate erumpentes comitabantur variolæ.
“ Convaluit tamen iterum infans.”

Tres casus ab SERVANS VAN DE CAPILLO dantur †. *Primus*:—“ Noster anno MDCCLII,

* STALPART VANDER WIEL, Obs. Rar. Med. Anat. Chir. tom. ii. par. 1. obs. 42. p. 424.

† Comment. De Rebus Lip. vol. xvii. p. 135.

“contagio varioloso qui grassante, in familiam
 “accersitus duos infantes, variolis benignis labo-
 “rantes brevi sanavit. Alter eorum, cum post
 “quatuor septimanas eodem contagio iterum in-
 “fectus diceretur, signa consueta ostendit, ex
 “quibus tamen noster certi quid nondum deter-
 “minare ausus est; sed postremo die variolas
 “toto corpore præcipue in extremitatibus prodire
 “vidit, ex quibus æger stadiis, ut solent, celebra-
 “tis, brevi restitutus est.” *Secundus et Tertius:*
 —“Variolis anno MDCCXLIV in familia merca-
 “toris grassantibus, filia prima major, deinde ju-
 “nior, ab iis infectæ, brevi sanatæ sunt, ex eo,
 “quid de contagio reversuro sentiret, quæreretur,
 “hoc fieri posse asservit. Neque erravit; nam
 “utraq; filia variolis post aliquod tempus cor-
 “repta, utramque quoque restituit.”

VAN DŒVEREN *, imprimis casum uxoris
 propriæ quæ bis variolis correpta fuit, dat. Se-
 cundam affectionem ut spuriam primo considerare
 inclinatus fuit, sed post tempus certum, morbus
 talia signa vera ostendebat, ut nullum dubium

* Comment. De Rebus Lip. vol. xviii. p. 587.

in suo animo de natura ejus relinqueret; addit hunc casum a CAMPERO, GRUNNER, BRILL, et SURGHUISEN, visum esse, et etiam casum istius descriptionis illi ab ultimo missum esse, qui olim suæ hypothese fortiter opposuit: sed ab observatione illorum casuum, ille nunquam postea accurationem opinionis dubitavit.

F. DRYFHOUT*, in commentariis de infantum variolis mentionem fecit, de casu hominis qui correptus fuit variolis nonnullis annis post inoculationem.

KRAUSE†, in sua dissertatione inaugurali de extirpatione variolarum, inoculationis substitutione; casum puellæ narrat, quæ temporibus quatuor diversis hoc morbo laboraverat; “bis nempe veris, semel accuminatis et semel lymphaticis.”

In HAGENDORNI‡ operibus observatio sequens invenitur, et etiam relatio quibusdam in casibus recursus morbi: “Mihi nota sunt ali-

* Comment. De Rebus Lip. vol. xvii. p. 139.

† Opus citat. vol. xiii. p. 49.

‡ HAGENDORNI Obs. et Hist. Med. Pract. Rar. Cent. i. Hist. lx. et lxi. p. 235.

“ quot in praxi exempla eorum, qui bis variola-
“ rum insultus experti sunt. *Casus Primus*, No-
“ bilissima quædam virgo in Ducatu Gorlicensi,
“ ex antiqua quadam prosapia oriunda, annorum
“ triginta plus minus, per multos annos valetudi-
“ naria, postquam juvenilibus in annis variolas
“ sustinuerat, easque ad votum sui et parentum
“ optime exantlaverat, ob visam a se ex impro-
“ viso ministram variolis insigniter deturpatam
“ terrore hinc concepto, iterum, et sic altera vice,
“ iisdem affligi cœpit, cum tanta symptomatum
“ sævitia stipatis, ut paucis ab efflorescentia die-
“ bus convulsa emori juberetur.” *Secundus*,
Casus est ille suæ filiæ quæ morbum transiverat
et convalescens fuit; sed addit, “ Factum tamen
“ est, ut maculisa ex variolis nondum penitus
“ evanescentibus, variolas aquosas confertim per
“ totam corporis peripheram efflorescentes vide-
“ ret.”

CALCERIUS*, in suis observationibus de in-
oculatione, casum sequentem habet: “ Puer sep-
“ tum annorum post insitionem dextro adminis-
“ tratur, variolas bis expertus est.”

* Comment. De Rebus Lip. vol. xii. p. 150.

WICHMANN *, in reversione morbi credidit, ut dicit, “Sunt exempla verarum variolarum plus semel infestantum, sed inter nos certe oppido rara: nisi eo referre velis vel retrogressas et repullulentes, vel eas quæ sine accurato morbi typo, nutritibus aliisque a frequente variolosorum corporum attactu subnasci solent, quod apud nos perquam vulgare est. Ad retrogressas et repullulentes spectari, videtur curiosissima historia SPIGELLI de semitert. p. m. 28. juvenem una cum semiter-tiana, in variolas illapsum, in tribus recidivis febris tres variolarum recidivas passum, posteaque parotidas.”

VOGEL †, de reversione variolarum dicens, primo mentionem fecit, nonnullorum auctorum quibus ea visa erat, et deinde dicit, quod ipse, “recidivam illarum in puella quadam observaverat.”

DE HÆEN ‡, in libello de inoculatione, recur-

* WERLHOFFI, Opera Medica, part. i. p. 477. edit. WICHMANNO.

† VOGEL, Manuale Praxeos Medicæ, tom. iii. p. 12. et seq.

‡ DE HÆEN, Refutation de l'Inoculation, p. 31. et seq.

sus variolarum nonnullos casus collegit, et edidit quoque excerpta ex octodecim auctoribus, qui suæ opinionis fuerunt. Unus casuum quos dedit sub observatione venit; alter illi a Domino **MACKEVEN KELLY** communicatus est. Tertius a chirurgo perito; et quartus casus est hominis, qui ter variolis correptus fuit.

Præter hos in altero libro * narrat, unum casum variolarum post inoculationem, et quatuor qui post variolas naturales, acciderunt.

HENSLER †, sententiam plerumque receptam fuisse scribit, ut aliquis non sæpius vice simplice variolis corripi possit, deinde nonnullos casus dat, ut fallaciam ejus opinionis probaret. *Primus* est casus nutricis, quæ ex sua infante contagionem secundo tempore recepit, pustulæ “suppurarent rite.” *Secundus* fœminæ quæ ex ejus filio contagionem recepit, postquam tempore priore morbum subiverat; pustulæ apparuerunt, “1, in facie, in digitis 3, in pedibus 2 magnas, cum latissimo halone inflammato, quæ multum pu-

* **DE HÆEN**, Ratio Medendi, tom. ii. p. 119.

† **HENSLER**, De Morbo Varioloso, p. 77. et seq.

“ris mali moris fuderunt, per septiduum florue-
“runt, et simul ac pus effluxerat, nono denuo
“sunt repletæ.” *Tertius* puellæ quæ in mense
Januarii MDCCLXII, morbum transierat, et die
25to Februarii, “denuo ægrotat et febrit; d. 26.
“lecto affigitur, d. 27. prænunciæ papulæ efflo-
“rescunt, d. 28. ubitum erumpunt. Bene qui-
“dem elewantur: sed exiguæ sunt, non multum
“suppurantes, et eschara brevi contracta, deci-
“dunt.” *Quartus* et *Quintus* pueri, qui morbo
primo in Januario MDCCLXI, correptus est, et in
Aprili sequente eundem morbum expertus est:
“D. 11. et 12. febriit; d. 13. erumpunt papulæ,
“et d. 14, plures; sed multæ iterum evanuerunt.
“Manebant quædam in manibus et facie, plures
“sub capillitio. Illæ d. 17, erant liquore puru-
“lento flavescente repletæ, et halone levi cinc-
“tæ; aliæ jam exsiccabantur: hæ vero in vertice
“puris spissi plenæ erant, flaventes, et figuram
“non multum convexam eas exacte referebant,
“quæ in dorso et thorace florere solent. Ex-
“siccabantur dein, licet solito lentius, et puer op-
“time valuit.” Idem contigit fratri. *Sextus*,
Puer quarto anno post inoculationem, “e com-
“mercii cum sorore variolis insititiis laborante,

“miasma denuo suscepit.” Papulæ “sparsæ erant per totum corpus, numerum centenarium tamen non multum superabant. Parvæ erant, notabiliter elevatae, colliculo suo rubro insidentes. Non adeo multum puris concipiebant: sed fastigia alba brevi exsiccabantur; detumescebat colliculus et furfurum instar reliquiae defluebant; d. 28. exsiccatae fere omnes: at nova progenies propululabat, et medio m. mart. tertia, ut ante sine incommodo idem eodem modo accedit fratri, sed pauciores fuere et non nisi una eruptio.” *Septimus* filiae, quæ post variolas benignissimas ante quadriennium subierat iterum, morbo correpta est. Febris levis fuit, tertia die ab initio “papulæ in facie efflorescunt exiles: in corpore licet quoque parvæ, attamen, paulo majores et levi cum ambitu rubello;” d. 4. “parum elevabantur et sero subalbente scatebant;” d. 5. “jam arescere incipiunt;” d. 6. “plurimæ siccae;” d. 7. “exiguæ escharæ seu potius squamæ defluunt.” Quoque seipsum bis variolas transivisse narrat, sed secundam tentationem levem et propitiam fuisse.

Perlectione scriptorum eorum qui medicinam in *Belgia* et in *Dania* exercuerunt, quibusdam

illorum ut variolæ visæ sint eundem secundo aut etiam tertio tempore affecisse invenimus.

DIEMERBROECK * in sua narratione variolarum epidemicarum qui in Ultrajecto mense Julii et Augusti MDCXL apparuerunt, dicit, “ Varios
 “ hoc tempore vidimus qui cum variolas copio-
 “ sissimas habuissent, iis sanati paulo post in idem
 “ malum reciderunt, atque illis ista secunda vice,
 “ sæpe multo majore copia erumperunt, quam
 “ prima ; imo aliqui visi sunt, qui intra spatium
 “ sex mensium ter copiosissimis variolis labora-
 “ runt, quod alioque raro solet contingere, im-
 “ primis tam parvo temporis spatio.” Etiam in pagina 295. casus quatuor infantum ISACI SCHORER dat, qui morbum transiverunt. Cum natu majore incipit, et cum natu minore terminat: deinde iidem infantes paulo post eodem morbo, qui similem progressum habuit, scilicet a majore ad minorem natum correpti sunt.

FORESTUS † relationem similis epidemici dat,

* DIEMERBRÖECK, Oper. Omnia, Hist. i. p. 290.

† FORESTI Opera Omnia, tom. i. lib. vi. obs. lxiii. et lxiv. p. 244.

in quo fere eadem res observata fuit, “ anno
 “ MDLXII a mense Octobri per totam fere hye-
 “ mem, deinde MDLXIII, per totam æstatem Del-
 “ phis contigit, in qua urbe Bataviæ admodum
 “ celebri non solum pueri natuque grandiores,
 “ verum etiam seniores aliqui, qui olim jam va-
 “ riolas et morbillos passi erant, rursus in eas-
 “ dem pustulas inciderunt : quod idem contigisse
 “ scribit Amatus anno MDLI, quo tempore etiam,
 “ ut prius dictum est, idem malum Alcmariæ po-
 “ pulariter grassabatur.” Præterea mentionem
 casus sui filii facit, qui, “ cum bis variolas ha-
 “ buisset, in morbillos incidit mense Septembre,
 “ ac febre corripit cœpit.”

MEZA *, in sua historia variolarum epidemi-
 earum anno MDCCLXXXVI Helsingoræ grassan-
 tium, dicit, “ Vidua tantum inter omnes paren-
 “ tes quorum gnati mihi curandi tradibantur,
 “ constantissime affirmabat ejus filiam sex annos
 “ natam, olim jam morbo laborasse. Quod et
 “ VAN DOEVEREN aliqui, nec non noster A-

* Actæ Regiæ Societatis Medicæ Harniensis, vol. iii,
 p. 66.

“ BILDGUARD DE BUCHWALD cum cæteris ob-
“ servasse, perhibent.”

Quando morbus varioloides in Europa apparuit, *Britannia* nondiu ex ejus stragibus immunitatem habuit; mentionem de eo a scriptoribus Anglicis factam esse simul ac anno MCXLVII invenimus; et JOANNES DE GADDESSEN*, qui ad finem seculi decimi tertii floruit, evidenter intellixisse quosdam aliquando morbi secundam tentationem subiisse videtur. Nam quum dicit fluxum menstrualetn hujus morbi causam esse, his verbis loquitur, “ Et contingit aliquando ut homo variolatur bis, quando prima vice non totus expellitur.” Ex hoc tempore usque ad introductionem inoculationis, circiter anno MDCCXXI, verisimile est aliquos medicos reversionem morbi admisisse, saltem pauca ad sententiam diversam sustinendam proposuerunt. Post annum MDCCXXI multi scriptores aliquem posse corripi variolis plus vice simplice negaverunt, dum ab aliis quædam exempla morbi bis accidentis narrantur.

† GADDESSEN, Rosa Anglica, p. 40.

MAITLAND * (qui primum attentionem medicorum Anglorum ad consuetudinem arte hunc morbum excitandi, direxit) casum Honorabilis Domini GEORGII PERCIVAL narrat, qui, post tres hebdomadas ex tempore inoculationis, impetum variolarum, cum leni febre subiit, multæ rubræ papulæ cum vesiculis aquosis ad summum apparuerunt, quæ a Domino ARNAUD et Doctore MONRO esse varicellæ creditæ sunt; sed per cursum morbi Doctor MONRO hunc morbum exemplum fuisse duorum morborum in eodem conjunctorum credere addictus est.

KIRKPATRICK † trium exemplorum morbi reditus mentionem facit. *Primum* est casus nutricis, ab Domino SAMUEL DWIGHT narratus, quæ bis variolas confluentes passa est; et tertio morbi impetu mortem obiit. *Secundum*, adolescentulæ, quæ variolis ex fratre et sorore inoculatis contractis, mortua est, viginti quatuor annis peractis postquam ipsa eam operationem

* MAITLAND, Account of inoculating the Small Pox Vindicated, p. 46.

† KIRKPATRICK, Analysis of Inoculation, p. 38. et seq.

subiisset. *Tertium* variolarum confluentium, quæ post duos annos ab inoculatione accesserunt.

Dominus BRYCE * postquam nonnullos casus variolarum secundariarum transcripsisset, dicit, “ There are now before me nearly one hundred
“ cases on record, in which the human constitu-
“ tion has suffered more or less severely from a
“ second attack of small-pox ; in many of these
“ the attack has proved fatal.”

“ In anno MDCCCXIV, quum variolæ epide-
“ miche grassatæ sunt in Forfora †, nonnulli qui
“ priore tempore per eum morbum transierant,
“ æque ac qui vaccinati fuerunt, eruptione quæ
“ habita fuit pro variolis correpti sunt. Epide-
“ mico valente, observatum est, febrem cum e-
“ ruptione non solum vaccinatos invadere, sed et
“ etiam qui antea variolas fortuito contraxerant,
“ vel inoculationem passi. In his non secus atque
“ in vaccinatis, morbus lenior et gravior tentare
“ solitus, et una cui interfui non dubium est quin
“ bis variola laboravit.”

* BRYCE on the Cow-Pox. Appendix, No. 6. p. 30.
edit. 2.

† ADAMS de Variola et Vaccina, pag. 41.

Quadraginta duo casus reversionis variolarum in tomis diversis Diarii Medici et Physici Londinensis recordantur, quorum viginti sex ab Domino KING * attestantur. *Primus* est casus foeminae quæ quinque menses nata, morbo in modo gravissimo afflicta est; et iterum impetum secundum morbi, quoque gravis, post annos viginti duos subiit. Pustulae circiter nonam diem mutare inceperunt. *Secundus*, variolarum quæ quendam aggressæ sunt, qui hunc morbum antea subiisse creditus est. *Tertius* casus post inoculationem accedit, quæ idoneum affectum habuisse visa est. *Quartus*, variolarum post inoculationem octodecim annis peractis. *Quintus* inoculationis secundariae, quæ morbum confluentem genuit. *Sextus*, Domini FEWSTER inoculatoris celebris, qui secunda tentatione variolarum ob puncturam scalpelli veneno variolarum imbuti correptus est, postquam morbum ante multos annos habuisset. *Septimus*, Domini SCOTT qui inoculatus fuit, et eruptionem confluentem habuit; nihilominus morbum ite-

* London Medical and Physical Journal, vol. 5, 6, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 24, 26, 37.

rum, subiit contractum in modo naturali annos circiter viginti post. *Octavus*, pueri qui morbum post annum a tempore inoculationis contraxit, quam secuta est eruptio copiosa. *Nonus*, morbi fortuiti post inoculationem accidentis. *Decimus*, secundæ tentationis morbi naturalis. *Undecimus*, Dominæ THOMSON, quæ tempore secundo variolis confluentissimis laboravit, vestigia cujus insignia remanserunt. *Duodecimus* et *Decimus tertius*, post variolarum inoculationem acciderunt, quæ in eodem casu bis perfici postulavit, antea idonea indicia exhibuit. *Decimus quartus*, infantis Comitis WESTMEATH, qui inoculatus fuit ante duos annos et incolumis fuisse dictus est, cum variolis confluentibus correptus est, et, toto corpore pustulis variolarum tecto, luctuosum spectaculum exhibuit. *Decimus quintus*, variolarum secundariarum in quibus æque ac in tentatione priore æger oculis captus est. *Decimus sextus*, ex contagione naturali post inoculationem ortus est, et pergravis fuit. *Decimus septimus*, variolarum lenium post inoculationem. *Decimus octavus*, infantis Doctoris CROFT, qui morbo acerbo implicitus est, post inoculationem, cui etiam eruptio copiosa super-

venit. *Decimus nonus*, impetus acerbi secundarii post inoculationem, quæ pustulas sex exhibuit. *Vigesimus*, variolarum initium circiter tres annos post inoculationem quæ bene respondit. *Vigesimus primus*, eruptionis levis pustularum, quæ leni febre comitata est; æger tenera ætate variolas habuerat, quæ foveolas reliquerunt. *Vigesimus secundus*, est casus proximo subsimilis, post inoculationem accidens, cum febre symptomatrica. *Vigesimus tertius*, variolarum post inoculationem, cujus indicia subsequencia suo medico satisfecerunt. *Vigesimus quartus*, est secundus impetus variolarum, qui fatalis factus est. *Vigesimus quintus*, variolarum circiter duas hebdomadas post perfectam inoculationem accidentium. *Vigesimus sextus*, impetus pergravis secundi, postquam duas pustulas variolosas super genu annis circiter tribus antea a contractu habuisset, et quæ cum febre et cynanche tonsillari comitata sunt. *Vigesimus septimus*, variolæ secundariæ acerbæ; impetus primus etiam acerbus fuit. *Vigesimus octavus*, post inoculationem accidit, quæ operatio circiter octodecim pustulas produxit; hic impetus multas foveolas reliquit. *Vigesimus nonus*, fœminæ nigræ quæ bis vario-

lam habuerat, cujus notæ insignes remanserunt, nihilominus tertio impetu mortua est. Dixit tertiam tentationem variolæ semper in India fatalem fore. *Trigesimus*, variolæ quæ post inoculationem ordinatam incidit. *Trigesimus primus*, fœminæ quæ bis morbum transierat et in ambobus tentationibus oculis capta est. *Trigesimus secundus*, impetus gravis variolæ post inoculationem, quæ operatio signa acerba excitavit, ut ægra per dies tres oculis capta est. *Trigesimus tertius*, in fœmina reversionis variolæ in modo multum mitiore, quam cum infantem nutriebat, qui morbo laborabat, contraxit. *Trigesimus quartus et quintus*, post inoculationem quæ in quacunque perfecte satisfecit acciderunt. *Trigesimus sextus*, impetus secundarii variolæ in fœmina, dum infantem nutriebat morbo afflictum. *Trigesimus septimus, octavus, nonus, et quadrigesimus*, SUB CAPITE NUNTII narrantur; duo illorum post inoculationem, et alii post morbum naturalem, evenerunt. *Quadrigesimus primus et secundus*, in narratione Institutionis Vaccinæ Generalis, anno MDCCCXI, traduntur. Unus post inoculationem, et alter post variolam naturalem fuit.

Tres casus variolæ secundariæ in Diario Medico et Chirurgico Edinensi referuntur *. *Primus*, variolæ gravis post intervallum duodecim annorum ab primo impetu ; morbus in ejus cursu et in continuatione ordinatus fuit. *Secundus*, variolæ quæ homini accedit, qui signa prioris tentationis morbi tulit : Pustulæ circiter octavam diem siccare inceperunt. *Tertius*, ægri qui variolam bene distinctam habuisset, post eum morbum antea subierat.

Casus Domini LANGFORD a Domino WITHERS † narratus, exemplum insigne recursus variolarum præbet. Iste vir quando mensem natus variolam habuit ; cujus vestigia conspicua remanserunt ; attamen iterum hoc morbo, qui fatalis fuit, correptus est.

Casus variolæ secundariæ Doctore BATEMAN ‡, traditur : ægra impetu morbi secundo correpta est, dum nutriebat infantem variola la-

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, vols. 3. 6. and 14.

† Memoirs of the Medical Society of London, vol. iv. p. 314.

‡ Medico-Chirurgical Transactions, vol. ii. p. 32.

borantem, quem morbum veram variolam esse probavit pus capiendo ab illa die octava, quod in juvenis brachium insertum est, dum virus ex ægro in Nosocomio Varioloso in alterum brachium insertum est; ambæ operationes pustulas plenas eodem tempore protulerunt. Ex his rebus Doctor BATEMAN hanc variolam veram fuisse concludit; nam si varicella fuisset, una ex eruptionibus interrupta fuisset; dum altera ejus cursum transiisset. Hæc variolam habuerat tenera ætate, in modo ita pergravi, ut de vita desperatum sit; capta oculis est per dies sex. Deinde de casu altero mentionem facit, qui Doctori LAIRD accedit; tum ex variis auctoribus ejusdem generis exempla dat, et tum concludere pergit eo modo; “Enough, however, has probably been
 “stated, to render the occasional recurrence of
 “small-pox unquestionable; and at least, to
 “make us pause, before we reject the evidence
 “which may come before us on the subject; and
 “to lead us to a careful and accurate examination, where appearances, tending to invalidate
 “the received dogmas, occur.”

Variola epidemica quæ in variis partibus Scotiæ nuper grassata est, et ad hunc diem usque

in Edinburgo, occasiones haud paucos ægros videndi afflictos eo morbo per tempus secundum nobis præbuit; quidem eorum casuum jam edidi fuerunt in lucem. Dominus HENNEN*, in sua narratione exacta morborum qui nuper in Nosocomiis Militaribus Edinensibus, cum eruptione cutis apparuerunt, quatuor casus refert; duos post inoculationem, et duos post variolas naturales. Idem auctor etiam dicit ut præfectus equitatum nunc in vicinitate, alterum exemplum vivens morbi secundum tempus accidentis præbet.

Doctor MONRO† quoque exempla quædam reditus variolæ narravit. Primo casum qui post inoculationem occurrebat, scriptis tradidit; deinde dixit: "I have lately had occasion to meet with
 "four persons, who had had small-pox twice in
 "in the progress of life, and three of these were
 "very much marked by the first attack of the
 "disease."

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. xiv. p. 418. et seq.

† MONRO's Observations on the different Kinds of Small Pox., p. 84.

Doctor THOMSON me certiore facit, se quadraginta casus recursionis variolæ vidisse ab Junio MDCCCXVIII, et triginta alios sibi communicatos fuisse a variis medicis. Opinio, quam ille nuper formavit, ut variola, et varicella, ex eadem contagione oriantur*, si vera sit, reversionem prioris morbi non tam raram fuisse ut generaliter credita est, probabit.

Dominus CHRISTIE, in literis ad JACOBUM MACGREGOR Eq. dicit: "Since my return to
"England, I have only met with two well au-
"thenticated cases of secondary small-pox; the
"one in a baker's apprentice, pointed out to me
"by Dr JENNER, and another in a Mrs Wil-
"liams, who, after being much marked with
"small-pox, caught the disease a second time in
"1816, from nursing her child, who died of con-
"fluent small-pox."

Nunc, cum auctoritate tam multorum aucto-
rum, et cum notitia casuum fere trecentorum
ægrorum, (perplurimi e quibus in auctoribus de
hoc morbo inveniri possunt) qui, bis aut sæpius,
variola laborarunt, credimus nobis liceat opus

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. 14.
p. 518.

nostrum ad finem ducere in verbis BURSERII* :
“ A vero etiam aberrant qui existimant, in no-
“ bis, postquam semel variolis genuinis perfuncti
“ fuerimus, destrui habilitatem, sive diathesim
“ corporis, qua uti dictum est (CLXI.) ad eas re-
“ cipiendas idonei aptique reddimur. Nam cer-
“ tissimis ex factis, observationibusque medico-
“ rum probatæ fidei, et summæ auctoritatis, cog-
“ nitum est, non paucos, qui jam spontaneas, et
“ naturales, aut insititias, artificialesque, et qui-
“ dem veras et legitimas pertulissent, secundo
“ et tertio in easdem incidisse. Atque hinc pla-
“ num perspicuumque fit, diathesim illam non
“ semper omnino post toleratas semel variolas in
“ nobis aboleri, aut certe iterum suscitari quando-
“ que posse.”

* BURSERII Instit. Med. Pract. ictom. ii. p. 100. 4to.

FINIS.

"notum ad hunc ductu in veris illis."
 "A vero etiam abest qui existunt, in no-
 "bis postquam semel variolis genuinis peractis
 "fuerunt, abest, labilitatem, sive diathesin
 "corporis, per illi dictum est (Lazar) ad eas re-
 "cidendas, idemque recipere reddunt. Nam per-
 "tinetis ex factis observationibusque medicis
 "cum probata illis et annis auctoritate cog-
 "nitum est, non paucos, quibus spontaneas et
 "naturales, aut institutis artificialibusque, et qui-
 "bus iterum et legitime peractis, secundo
 "et tertio in eadem incidit. Atque hinc pla-
 "num perspicuumque sit, diathesin illam non
 "semper omnino post colatas semel variolas in-
 "volutam, aut certe iterum suscitari quando-
 "que posse."

"et in hunc modum et peractis et peractis"
 "et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

"et peractis et peractis et peractis"

